



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Exedræ Ecclesiasticæ Sive Concionvm Moralium ... t. ...

In Dominicas totius anni

Schrötter, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1687

XVI. In Domin. II. Quadragesimæ. Et transfiguratus est ante eos. Matth.
17. Arg. Metamorphosis hominis multiplex.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56286](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56286)

CONCIO XVI.
IN DOMINICA II. QUADRAG.
Et transfiguratus est ante eos.

Matt. 17.

ARGUMENTUM.
METAMORPHOSIS HOMINIS
MULTIPLEX.

I. **N**ihil omnino in hac mortalitate tam inconvulsibile, quod cum sublimatum fuerit, illico non immutetur, aut transformetur. Aud. Subvehitur extra suam sphaeram aer, & igneum assumit genium. Elevatur liquor, & vel attenuatur in rorem, vel densatur in nebulam, vel coit in nubes, ac tempestates. Assurgit mediante sulphureis exhalationibus tellus, & in tonitrua, fulgura, fulmina convertitur.

Idem prope aevenit hominibus, ut primum hi vel volubili fortunæ esse dō subvehuntur, vel honoris quodpiam subsellium conscendunt; vel aliis naturæ, aut gratiæ donis supra cæteros sublimantur, ac tutum vel in melius, vel in

deterius transformantur, & transfigurantur. Quod cum elucido, à tuo divinissimo vultu Christe Assertor in Solem transmutato lucem, à Vobis aures efflagito.

PARTITIO.

II. **E**minentissimus quæ dignitate, Hugo Car. quæ sanctitate, quæ doctrina in Evang. Hugo Cardinalis, in explanatione hodierni Evangelii triplicem in nobis observavit transformationem: *Alii, inquit, se figurant, alii desigunt, alii transfigurant.*

§. I.

Quinam figurantur in monte.

III. **P**rimi sunt figurantes. Est verò figura apta Philosophos: *Extrema aspectabilis, & in oculos incurrens species.* Ap. Oratores *Cōformatio quadā sermonis*

R 3

elegant

Cic. de
Orator.

elegantior remota à communi sensu, & loquendi consuetudine. Apud Poëtas: Assumpta in scenicis actionibus persona, vel alia quævis externa species, non tam rem, quam apparentiam rei exhibens.

Hujusmodi figuris utuntur imprimis nonnulli virorum, sceminarumque, quæ in aliquem opulentia collem præ cæteris subvectæ, totæ quantæ sunt in figurando corpore. Omnia fumum, cynamomum, balsamum redolere debent. Figuras aptant fronti, figuras pectori, figuras manibus, figuras calcibus, ut totæ in figuris abesse videantur. Cum sæpiusculè tenebras intus circumferant; ita fulgent exteriori, ut nemo in luce gemmarum ab iis succensarum lippire possit; ipsas præter sceminas, eas circumferentes.

IV. Et hæ figuræ quidem pro status illustrioris conditione, nonnunquam appositè adhibentur. Illud mirabilius, quod aliæ in vallibus paupertatis constitutæ, lacernis atque centonibus suis celandis adhibere eas nitantur.

Ex harum tribu illam fuisse mihi persuaferim, quæ ab Eliseo Propheta quaesita quid haberet in domo? reposuit: *Non habet ancilla tua quidquam in domo sua, nisi parum olei, quo ungar.* Non habet panem, non habet potum, mendicare debuit. *Non habet quidquam.* Scutellæ ipsæ, & suppellex est vendita, fundis antea dilapidatis. *Non habet ancilla tua quidquam.* Attamen figurare sese, ac pingere haud destitit, unguenta, oleumque adhibuit, quo foris in oculis hominum niteret. O stulta, & siderata mulier, nonne hoc oleo satius condiendum fuerat olus? nonne pulmen-

A. Reg. 4. 2.

tum potius, quam facies? vel si corpus condiendum nonne præstabat interius, quam exterius? Vis dicam, quid sentiam de te? Vereor ne ex illis sis una, de quibus Tuba Spiritus S. Paulus: *Vidua, qua in delitiis est, vivens mortua est.* v. 6. Eam ob rem unguenta adhibes, ut cadaver tuum condias. Sed & non semper bene olet, quæ bene semper olet. Vel certè ex iis, quæ oleum, & operam sese perdidisse, feridè tandem ingemiscunt. Profectò nunquam perditur stultius; quam cum ad id uni studetur vanitati.

V. Ad eandem tribum referuntur, quæ in monte Thuris transfigurantur. Hæ cum intus plenæ sunt dolo, & iniquitate, afforis figuris quibusdam, seu characteribus devotionis, vel potius hypocrisis effulgere conantur. In eum finem nomen suum dant Sodalitatibus diversis, etsi earum statuta minimè recipiant. Oratoria sua exornant variis lipsanis, ac parcergis imaginum; ipsam orationem figurant ejulatus, ac gestibus exoticis, repente quantumvis corde, & ad alia converso. Portant scapularia, cingula varia, cruces deauratas, sed plumbeum affectum. Templà illa visitant, ubi major concursus hominum, vel ut figurato delectentur cantu, & aspectu aliorum, vel ut oblectent alios. Sæpius sacram Synaxim frequentant; sed perinde ac cibum quotidianum ex consuetudine deglutiunt. Omnia fiunt ab iis ad apparentiam, & pompam, parum ad veritatem.

Ad eandem missis aliis tribum spectant, qui ascendere videntur montem Aceldama, montem crucis, ac pœnitentia;

Devotio
ficta.

Hypocrisis
in pœnitentia.

tia; gestant habitum monasticum, & cilicis corpus divexant; Sed ab iniquitate sua nec digito recedunt, pilum non mentem mutant, instar corvi ad suum cras revertuntur, & felis instar à sua venatione haud desistunt.

*Fabula de
caco.*

Ferunt ex illis quamquam, colore niveam, in vas fuligine, ac sepiam plenam prolapsam, pellēque nitidam hoc pacto in furvam commutasse. Id videntes mures, gliresve exilire gaudiō, & inter se tripudiare, rata meliori redonam vitam, & esurialibus abhinc escis, posthabita venatione, fore contentam. Verum brevi patuit, pilum, non animum mutasse, cum ludibundos aggressa, unum post alium Letho dedit. Hunc in modum, ajo, bene multi transformantur; verum, ut *figura hujus mundi*, Apostolo teste, *præterit*, ita non minus istorum, vel istarum pœnitentia, ac devotio.

VI. Sanctus Joannes eos adumbrat in sacra Apocalypsi sub schemate stellarum decidentium, & similitudinem cometarum præferentium. *Est visum, ait, aliud signum in celo. Et ecce draco, - - & in capite ejus diademata septem, & cauda ejus traherat tertiam partem stellarum celi, & misit eas in terram.* Vermis exitialis unicam caudam suam tantam vastitatem cælis intulit. Quid hoc rei Auditores? Num tam molli dexteram affixit has lampades aureas, atque argenteas Omnipotens, quod non unguibus, non pedibus, aut dentibus ea sidera detraxerit, aut avulserit, sed caudam suam perinde ac scopis everterit è tabulato cæli? Non stellæ eæ fixæ debuerant esse, sed muscæ, papiliones, sidera errantia, quæ caudam pavonis, aut draconis abi-

guntur. Ita est. Aud. Cometes fuerant, qui figuram quandam stellarum præferunt, in damnum aliorum lucent, & evanescent momentō. Hi omnem splendorem de foris effundunt, intus inanitate pleni sunt. Ad hos cometas, ad hæc sidera errantia, ne utique dentibus, aut unguibus opus est, caudam draconis trahuntur, ejus nutibus obsecundantes, eique se in omnibus conformantes. Ideoque hæc figuratio subito disparet, & in nihilum, seu umbram crassam convertitur. Figuræ enim sunt, quæ ad solam apparentiam micant, quæ in ictu prope oculorum prætereunt, vel ad ipsum inferni barathrum occidunt.

§. II.

Recensentur, qui in monte deformantur.

VII. **A**lii sunt, qui deformantur in monte. Hi sunt, qui cum in montem officiorum, ac dignitatum provehantur, in pejus mutantur, ita ut seipso haud agnoscant, amicos, & sanguinem despiciant, rationem exuant, nec hominibus duntaxat, sed Superis ipsis injurii existant.

*Superbia
deformat.*

De his verè cecinit Hymnopæus: *Homo, cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus.* Homo, cum insignitus esset ratione, ac summa præditus sapientia, in tantum abusus est lumine rationis, ut ad unguem bestiis concolor redditus sit. Quamdiu lacernam indutus erat, fulsit ei lucerna discretionis; at ubi purpuram induit,

*Hypocrita
cometes.*

induit, unâ etiam mentem sanio-
rem exuit. *Homo cum in honore esset, non intellexit.* Quando cœpit eminere supra homines, infra homines ad brutorum animalium statum devolutus est. Descendit ex folio gloriæ suæ, & ad latibula ferarum deflexit. Ratio, stupendâ metamorphosi, migravit in cornua, paludamentum mutatum est in villos, mores humani in ferinos abiêre. *Homo cum &c.*

*Superbia
Luciferi.*

*Ezech. 28.
v. 12.*

VIII. Rei hujus veritatem si non tam auribus, quàm oculis haurire libet, ad principem omnis apostasiæ Luciferum eos convertite. Quàm speciosam, quàm amabilem, quàm gratiosam nactus hic erat indolem! Ezechiel Vates in persona Regis Tyri eam describens, ait: *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, & perfectus decore, in delitiis paradysi Dei fuisti, omnis lapis pretiosus operimentum tuum, Sardius, Topazius, & Jaspis. q. d. Tu eras sigillum perfectè incisum, planèque referens, & exprimens tuum, tum exemplar, tum opificem, seu sculptorem. Tu omnium rerum formam, pulchritudinem, & dispositionem explebas, velut signata Dei, & expressa similitudo. Tu novem choris Angelorum, perinde ac lapidibus pretiosis vestitus, ac amictus eras, omniumque perfectiones, utpote Superior ipse continebas. Talis tantusque erat Lucifer à die, quâ conditus fuerat. At ille vecors, cum tanto in honore esset, non intellexit, & hæc omnia in materiam superbiendi convertit. Non suffecit ei tanta largitas Conditoris, nisi idem diceretur, seu existimaretur de ipso, quod de Deo. Negavit planè*

Deum Creatorem suum, & sese Deum blasphemâ præsumptione professus est. *Deus ego sum, & in cathedra Dei sedi.* Vel ut alio in loco oracula: *Ascendam super altitudinem montium, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis, similis ero Altissimo.* Quid factum? Respondet ibidem Isaias: *Detracta est usque ad inferos superbia illius.* Transfiguratus est ex Lucifero in noctiferum, ex Angelo in Diabolum, ex similitudine Dei, in similitudinem absurdissimi draconis.

*Isa. 14. 13.
14.*

IX. Occurrat item Protoparens vester, & ipse ad imaginem, & similitudinem Dei conditus, & arbiter terræ, ac vicarius constitutus. *Dominamini piscibus maris, & volatilibus cali.* Nonne & hic interveniente fastu, mutavit gloriam suam? *Comparatus est jumentis, & similis factus est illis.*

*Superbia
deformat
Adam.*

Gen. 1. 28.

Expendit casum ipsius Pater mellifluus, & quærit, quidnam sibi velint illa verba Domini ad ipsum prolata: *Ecce Adam, quasi unus ex nobis factus est.* Quomodo ait, Adam secundum prævaricationem factus est Deo similis? Contrarium planè dicendum fuerat, quum similitudo in gratia DEI, quam is perdidit, consistat. Respondet idem sanctus Abbas quæstioni propositæ: *Puto jumenta dixisse, si ita loqui fas est: Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est.* Videntes enim indutos tunicâ pelliceâ, in similitudinemq; suam quadantenus redactos, & non valentes explicare sensum suum; Deus illorum vices supplevit, dicens: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est,* quasi una bellua evasit absurdissima.

Gen. 3. 22.

*Bern. 5. 33.
in Cam.*

Eandem

D. Greg.
in Evang.

Eandem rationem adducit D. Gregorius, ob quam pelliceâ meliore eos circumdederit: *Fecit eis tunicas pelliceas, ut veste belluina uterentur foris, qui intus belluina cupiditate animam deformaverant.* Ecce vobis transfigurationem, seu potius deformationem, in montem Aram, seu superbiæ factam.

Superbia
Nabuthû
in belluam
transfor-
mat.

X. Verùm inter alios insignius eam in Nabuehodonozor Rege inspicite. Adumbrata erat persona illius in arbore perquam sublimes, & elegante, cujus proceritas cœli concava contingebat, cujus folia pulcherrima, & fructus ejus nimius, in cujus ramis nidulabantur volucres cœli, & ex ea vescebat omnis caro. Tantus erat dignitate, ut caput cœlo inferre crederetur; tantus potentia, ut sub ejus umbram volucres cœli ac bestię terræ, id est justi, ac improbi sese reciperent; tantus opulentia, ut omnibus fortunæ bonis vallatus esset. Hic tamen ex albo hominum expunctus, ex consortio eorum sequestratus, ad bestias relegatus, in bisontem, seu Urum transmutatus est. *Ejicient te ab hominibus, & cum feris erit habitatio tua, & fœnum ut bos comedes,* ait ore Domini Propheta Daniel. Et Dominus ipse: *Cor ejus ab humano commutetur, & cor feræ detur ei, & septem tempora mutantur super eum.* Quæ universa venerunt super Nabuchodonozor Regem, & fœnum ut bos comedit, & cordis ac corporis ejus temperamentum ita immutatum est, & efferatum, ut perquam simile esset feræ bestię, quantum fieri potuit, citra humanæ naturæ amissionem.

Hem quæ saga, quæ Medea Regem

tantopere deformavit? Ex quo fonte tam abominanda redundavit Metamorphosis, ut ex aula ad caulam expulsus, ex palatio in agrum actus, ab epulis ad fœnum relegatus sit? Me herclè non aliunde, quàm quòd in montem Aram conscenderit. *Quia elatione cogitationis sue se supra homines extulit, ipsum quem communem cum hominibus habuit sensum hominis amisit;* inquit D. Gregorius. Ascendit in montem, & ait: *Nonne hæc est Babylon magna, quam edificavi in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei? Hæc cum ingenti fastu protulisset, & sermo etiamnum esset in ore ejus; intonuit oraculum: Tibi dicitur Nabuchodonozor Rex, regnum tuum transferetur à te, & ab hominibus ejicient te, & cum bestiis, & feris erit habitatio tua; & fœnum, ut bos comedes.* Eo quod in tanta dignitate alios despexeris, in tantis regni splendoribus Deum largitorem; ac Dominatorem omnium, non agnovervis, sed perinde ac brutum sensu proprio abductus tibi met ea omnia bestiali ausu arrogaveris, immutaberis, ac deformaberis, ut talis afforis appareas, qualis intrinsecus lates. Et quia prius in anima brutalem spiritum circumtulisti, in corpore subinde eundem ostentare, ac præferre compelleris. Nempe: *Homo cum in honore esset &c.*

XI. Quòd si hodierna luce omnes ii transfigurandi forent, qui Nabuchodonozorè imitantur, & in montes eluctantur superbiæ, vah quæ non môstra, quas non belluas, quos non bisontes, capros, hircocervos intueremur? Verùm utut humanos ea monstra effugiunt oculos,

S

videt

D. Greg.
lib. 5. mor.
c. 6.

Ibid. v. 28

Dan. 4. 22

Ibid. v. 13

videt illa Deus, videt tutelaris Angelus, videt, vel certò indubiã conjecturã assequitur Diabolus. Videt Deus, & execratur; videt Angelus custos, & comparitur, videt Orcus, & exultat. Videt Deus & dicit: *Hæccine est imago mea, hæccine similitudo, ad quam condidi? Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus?* Ego te suscepi in filium regni, quomodo evasisti in filium perditionis? Ego tibi coronam gloriæ præparavi, & tu sero contumeliæ incingeris? Videt, & audit hæc Angelus defensor, & ait: *Miserere Domine, miserere & indulge. Si iniquitates observaveris Domine, quis sustinebit?* Videt, aut assequitur Sathanas, & insultat, atque exululat: *Feri Domine, fulmina scelestum caput, & in Tartarum demerge. Videt Deus, & lorricatur ad eum perdendum; Quia Deus superbis resistit.* Videt Angelus, & movetur ad eum deferendum; videt Sathanas, & sollicitat ad cohabitandum.

Eheu, quisquis in montem hunc conscendisti, cave præcipitium, time ejusmodi transfigurationem, ne subeas æternam confusionem, ac damnationem.

§. III.

Exhibentur, qui cum Christo transfigurantur.

Transfigurationis Christi quæ sit.

XII. **T**ertio alii inveniuntur, qui in monte constituti, cum Christo Domino transfigurantur. Est verò hæc transfiguratio, seu transformatio nihil aliud, quàm figuram Christi, ex ipso,

tanquam ab exemplari in nobis depingere, Christum meditari, ejusque vestigia sectari. Ut quemadmodum ille in sua transfiguratione declaravit latentem Divinitatem sub sipario humanitatis; ita nos moribus nostris Christum in nobis habitantem.

Suasit hanc Transfigurationem Colossensibus suis Vas electionis in hæc verba: *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes novum, qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem ejus, qui creavit illum.* Induite novum Adam, exuto veteri, cum actibus, ac concupiscentiis suis; exuite cor à carnalibus, & sæcularibus desideriis, quatenus iis semotis induatis amorem Dei, ac cælestis patriæ. Exuite os ab omni detractioe, ac imprecatione; & succedat in eorum locum vera peccatorum confessio, & bona de proximis existimatio. Exuite flagitia, (vetustatem corporis vestri) & assumite continentiam, ac innocentiam. *Induite vos,* (ut ibidem subdit Apostolus, *sicut electi Dei sancti & dilecti viscera misericordie, benignitatem, modestiam, patientiam.* Induite Christum interiùs, exteriùsve; ut cum eodem, atque in eodem operemini, non tanquam duo, sed unus; imitando hæc in parte naturam ipsius divinam, ac humanam, quæ in unam personam conveniunt, ita ut actiones utriusque differentes, uni eidemque supposito attribuuntur.

Ejusmodi nostra sint opera, ac cogitationes, ac si unusquisque nostrum operans, foret ipse Christus, nec quicquam committendo, quod ejus impeccabi-

Col. 3. 9.

cabilitatem, puritatemque dedecet. Non videamus, nisi oculis JESU; non audiamus, nisi ejus auribus; non loquamur, nisi ejus ore; non laboremus, nisi ipsius manibus, perinde ac si anima nostra foret in impeccabili corpore Domini nostri JESU, & operationes ipsius omnes Theandricæ, in ipso, & cum ipso factæ.

Quemadmodum in gloriosa transfiguratione Christi splendor exterior à Divinitate in animam, deinde à Divinitate, & anima in corpus sese, ac vestimenta diffudit; ita claritas transfigurationis nostræ procedat primariò ex unione cum Christo, & meritis ipsius, ex inhabitante Spiritu S. & subinde etiam in corpus redunder; ut luceat lux nostra coram hominibus, & videantur opera nostra bona.

Et ut splendor, ac claritas in Christi facie non erat omnino extrinseca; non tantùm in aère & oculis Apostolorum, sed ut ait S. Hieronymus, vestes & corpus penetrans: ita mutatio nostra non sit verbalis phantastica, personata; sed interior in anima, in moribus, in perfectione, in sanctitate non ficta. *Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est, in justitia, & sanctitate veritatis.*

X. Verùm, ne minus in se expressisse, quàm suasisse videatur, se ipsum testatur alio in loco plenissimè transformatum. *Vivo, ait, ego, jam non ego, vivit autem in me Christus.* Vivo ego insertus in bonam olivam; ita ut non tam ego vivam, quàm Christus in me vivat. Non vivit in me lex peccati, non gula, non avaritia, non concupiscentia car-

nis, non natura, non voluntas propria, sed Christus ipse, gratiæ suæ, quasi animæ, & virtutum, quasi potentiarum moribus me agit ad omne bonum, & ad vitales virtutum actiones; quatenus ejus humilitas, fortitudo, sapientia, gaudium, pax, aliæque virtutes in me vivant, ac vigeant.

Vivo ego, jam non ego: quia Christo Domino meo confixus sum cruci, nec sentio, nec attendo, nec amo quidpiam aliud, nisi quod est illius, aut propter illum. *O dulcis,* (exclamo cum S. Zenone,) *sententia! O damnatio necessaria! in semetipso homo jugulatur, ut vivat; percussor est, & percussoris gladius non videtur, percussi vulnus non hiat, non defluit sanguis exspirantis, non palpitat corpus, non decolor color est.* Ipse est, & tamen ipse non est, vetus quidem videtur domicilium, sed novus iniquitatis mutatione morum exultat; novitatis suæ nobilitatem incredulis variis virtutibus probaturus.

XIV. Hunc in modum & nos transformare, seu transfigurare par est; nisi vivere, ac mori beneficio redemptionis ingrati omnino velimus. Nonne hic inter alia cruentæ ipsius passionis scopus, & prope præcipuus extitit, ut reformaret corpus humilitatis nostræ con-

Zeno h. t.

figuratum corpori claritatis suæ. Ut exueremus veterem hominem cum aetibus suis, & novum indueremus, ut à vinculis peccatorum expediti, adoptionem filiorum reciperemus. Tanti enim dolores, cruciatus, vulnera, injuriæ, contumeliæ, opprobria, quibus mors Christi abundat, ad nos redimendos nequiquam necessaria fuerunt; sed re-

Christus passus ut imitemur. Phil. 3.

S. Hier.
Ep. 61.

S. Pauli
transfigu-
ratio.

Gal. 2. 20.

quisita ad exemplum, quod imitaremur, & ut omnibus numeris absolutum semper præ oculis haberemus. An non ergo summè ingrati, summè injurii sumus, & infando crimine obnoxii, si id detrectemus, & imaginem Christi non nisi è contrario reddamus?

XV. Res hæc, ut penitiùs mentibus vestris imprimatur, statuite vobis ob oculos hominem ethnicum, inter latibula ferarum, semotum ab omni commercio mortalium educatum, fidei, ac mysteriorum nostrorum omnino ignarum. Veniat is in hanc urbem, deflectat ad cauponam, prodeat in forum, perspiciat mores, ac mercimonia nostratum. Inde deducatur ad Basilicam, & exhibeantur eidem sacra pegmata, icones, mysteria alia. Quò putatis stupore non percelleretur? quàm sedulò quæreret, quid sibi velint ea sacramenta? quid ille patibulatus (ita enim rudis idiota loqueretur) in altari significat? Quid quæso tunc responderes? Utique si verus Christianus esses, ingemisceres, & diceres: Ita pro nobis Filius Dei assumptò humanitatis nostræ indumento, passus est, quatenus nos Patri æterno ob prævaricationem nostram exulcerato reconciliaret, ac debitum, quod contraximus, exolveret. Nam cum in primo parente nostro divinis imperiis reluctante graviter læsæ illius divinæ Majestatis, facti essemus obnoxii, ipsemet Filius Dei sese vadem pro nobis interposuit, ne æternum periremus; & ut ille Protoparens noster contra edicta Numinis manum ad pomum decerpendum extendit: ita & ipse manibus suis expansis, & trabalibus clavis affixis, expiare scelus voluit.

Instet ille Paganus, & dicat: Deum bonum! Ergone non potuit aliis viis mitigare iram Patris, atque aliis satisfacere mediis? Responde, quid sentis. Potuit utique remissitates, & quidem copiosissimè, vel unicâ alapâ, vel una oratione pro nobis profusa.

Urgeat adhuc, & sciterur; quid est itaque mysterii, quòd tam grave, atque infame crucis supplicium sustinere voluit? Quid diceres ad hæc? Nonne alias inter causas adduceres, id factum, ut esset nobis non tantum Redemptor, sed & Magister, & Exemplar, quod imitaremur, quòque acerbiter dolorum nostrorum leniremus.

Sed quid ille etiamnum reclamaret? Utique; vel hoc est falsum, quod dicitis; vel estis homines impiissimi, ac ingratiissimi, qui tantis provocati beneficiis, haud responderis. Credere enim Deum suum tantum amorem, patientiam, demissionem, aliasve virtutes exercuisse, quatenus suis vestigiis insisteret creatura, eamque tergiversari, non potest non esse execrabilis ingratitudinis vitium.

XVI. Vel ut veritas altiùs pateat, fingite unum duntraxit hominem in terris extitisse, cui hic favor concessus, uti ad eum instruendum, ac dirigendum in via salutis, ipse Filius Dei in terras descenderit, & homo factus, acerbissimisque excarnificatus suppliciis, in cruce mortuus sit, ita ut piissimus JESUS à nemine, præterquam uno illo fructum passionis suæ repeteret, ac expectaret. Quid vobis videtur? Nonne eidem, non plus facienti, ac modò quispiam nostrum, non modò saxa ipsa insultarent,

rent; verùm etiam Angeli missilibus fulminum eundem persequerentur, & homines cæteri celerem de cælo vindictam scelesto capiti deposcerent; indignantes, erubescentsque è suo genere repertum tam enormis reum flagitii.

Et eheu, quàm fallimus nos ipsos! Nihil minus nos in præsentis statu, atque ille in suo, obstricti sumus ad conformandum nos illi in omnibus, & transfigurandum in ipsum. Ita enim pro omnibus insimul mortuus est, ac si pro quovis in particulari mortem oppetiisset. Ah! quomodo itaque cælum audemus conspiciere, Christo Domino nostro tam diffformes, tam ingrati, & maximo redemptionis beneficio indignissimi. Nonne nos tam discoloros à Domino vel ipsi Ethnici in districto iudicii die redarguent? Nonne vel ipsa saxa, quæ fissa sunt, ad tremendum Passionis Dominicæ spectaculum, nos dabunt in ruborem.

XVII. Ponite postremò Christum

Dominum ipsum inter vos, uti quondam cum discipulis visibili specie versari, ea duntaxat intentione, ut vivum virtutis exemplar nunquam non præ oculis habeatis. Per Deum, quis tum auderet ab ejus imitatione, ac conformatione discedere? Quis non ejus intuitu ad virtutem inflammaretur? Quis non caveret exorbitare à semitis ipsius? Cur minus in præsentis facimus? An non etiamnum præsens? An non universa, quæ operamur, conspiciatur? An non eam ob rem in S. Synaxi cum corpore & anima usque ad consummationem sæculi perseverare voluit, quò nos deformes redderet.

Eja itaque adnitamur, quantum in nobis est, conformari prototypo nostro, conscendamus in montem Thaborum per jugem vitæ illius meditationem, quoad ad montem Dei Horeb perveniamus, & transformemur de claritate in claritatem.

Amen.

